

scripto fatemur, quod predicto die accersitis personaliter ad Sacrum Monasterium Sancte Clare in Barolo ad petitionem et preces nobis factas pro parte Religiose et honeste Mulieris sororis Marie de Marra humilis abbatisse dicti Monasterii Sancte Clare. Et presente ibidem dicta domina abbatissa ac paganella muliere f. qd. Martini de Manso concive nostra uxore Comiti Angeli de Cutrano. dicta paganella mulier concivis nostra a me predicto Iudice legaliter inquisita *etc.* consensu quoque dicti Comiti Angeli viri sui et ibidem presentis et ei suum ad hec omnia et singula infrascripta consensum prestantis non vi non metu nec aliqua suasionem coacta, Set proprio animi sui motu voluntarie coram nobis ob devotionem quam habuit et habere se asserit in dictum Monasterium Sancte Clare, Et pro salute anime sue et suorum remedio peccatorum se obtulit in manibus dicte domine abbatisse presentis et recipientis pro se et dicto Monasterio. Et ex causa ipsius oblationis voluntarie cum consensu q. s. donavit titulo donationis irrevocabilis inter vivos dicte domine abbatisse *etc.* Domum unam suam Magnam orreatam sistentem in dicta Civitate Baroli in pictagio Marcicani a medio pariete iuxta domum Mansube sororis sue a medio pariete iuxta domum Thomasii Simonis de Oddino a medio pariete iuxta domum Theotonicorum et iuxta viam, petens a dicta domina Abbatissa et dicto Monasterio Missas et orationes ad dominum pro anima sua Reservate dicte paganelle. quod ipsam dictam domum debeat habitare tenere et utifruī, donec vixerit. Et si contingit ipsam mori dicto Comito Angelo viro suo superstite, dicta domus deveniat ad dictum Comitum Angelum virum suum tenenda habenda et utifruenda similiter per eundem Comitum Angelum donec vixerit. Reservato etiam dicte paganelle et dicto viro suo. quod si contingerit eos vel ipsorum alterutrum ad inopiam vergere causa senectutis vel infirmitatis. Ita quod non possent eorum victum subvenire. Monasterium ipsum teneatur de bonis dicti Monasterii dictum virum et uxorem *etc.* nutrire ad omnem requisitionem ipsorum alterius quod si dictum Monasterium non faceret licitum sit dicte paganelle et dicto viro suo dictam domum vendere *etc.* Dicta paganella *etc.* Guadium dedit dicte Abbatisse *etc.* Contra que si fecerint *etc.* pene nomine componant dicte domine abbatisse *etc.* uncias auri decem et totidem Regie Curie *etc.* Que scripsi ego predictus Magister Spina puplicus baroli notarius qui predictis Rogatus interfui et meo signo consueto signavi. (*Segno*).

† Matheus de Porta q. s. Iudex. (*Segno*).

† Iohannes Angeli russi puplicus Baroli notarius testatur.

† dopnus Paulus testatur.

Notitia testium:

Notarius Iohannes Angeli russi, dopnus paulus, nucius angeli de Siligardo . .

. Alefanto.